



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

17. Zozymus Papa, Celestinus, Tridentinum eandem concordiam definierunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

CAPVT XVII.

Zozymus Papa, Celestinus, Trident. eandem concordiam definierunt.

Quid jam opus minorum gentium Scholasticos curiose lustrare, sensumque quem de concordia gratiae & liberi arbitrii tenuerunt patefacere, si capita familiarum celeberrima modum istum tanta confessione tradiderunt? Nec enim puto facile reperiri posse Scholasticorum opinionem ullam in uniuersa Theologia, in qua majori eocordia S. Augustini, Prosp. Fulgent. Bernardi, & quotquot Augustini a tate secuti sunt P. sententia explicauerint ac secuti sint.

Itaque hanc ipsam concordiam gratiae cum libero arbitrio etiam Apostolica Sedes, & ipsa Concilia Ecclesiae generalia contra Pelagianos, & alios veritatis hostes, qui libertatem extinguere per operationem gratiae arbitrati sunt, uertissimis uerbis expresserunt ac canonica auctoritate sanxerunt. Nam Zozymus Papa in epistola circulari, quam ad uniuersos totius Orbis Antistes misit, ita loquitur, eadēdo Pelagianos Apostolica auctoritate damnauit: *Ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda factum: quotquot enim spiritu Dei aguntur, bis hinc Dei, ut nec nostram sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibusque ac uoluntatis uariis singulis motibus, magis illius ualere non debemus auxilium. Quam epistola istius partem etiam Celestinus Pontifex tanquam Catholice fidei dogma continentem, ad Antistes Gallos misit. Quis uero non uideat illam in ea libertatis gratiaque concordiam tradi, quam ex Augustino hauserat, quamque tam operose ex ipsius & antiquioribus monumentis demonstrauimus? Nempe quod gratia facit ut arbitrium non otiose quiescat quasi alius de nostra uoluntate uellet & ageret, sed ipsum arbitrium aliquo suis motibus uelit & agat. Hoc enim significant illa uerba: *Et boni aliquid agant: & illa: ut nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, sicut Pelagiani calumniabantur.**

Post Zozymum Papam eandem concordiae rationem S. Celestinus Pontifex, graui illa & celeberrima ad Gallos, epistola ceclarauit ac docuit. Cum enim dixisset per Deum fieri aliquid boni uelle incipiamus & facere, statim gratiam cum arbitrii libertate coecliat Pelagianorum calumnias intuenso & iugulando: *Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Quod nihil aliud est quam si diceret, non aufertur liberum arbitrium, sed magis fit liberum, quia cum ante tenebris oblitum improvidum uellet prauum, nunc prouidum uult rectum ac bonum. Nam statim hoc explicans manifestius: Tanta enim, inquit, est erga omnes homines bonitas Dei ut nostra uelit esse merita, quae sunt ipsius dona, hoc est, ut nos uelimus & agamus hoc ipsum quod ipse per gratiam donat ac facit. Nam rationem apertissimam istius conciliationis as-*

signans: *Agit quippe in nobis, ut quid uult & uelimus & agamus; nec otiosa esse in nobis patitur quae exercenda non negligenter donauit, ut & nos cooperatores sumus gratiae Dei. Quod est istud, nisi id quod tam instanter contra hostes gratiae clamabat Augustinus, nos uolumus, nos operamur, arbitrium non nihil agit, non sicut de lapicibus insensatis Deus edificat domum, & similia, quae latius recensuimus?*

Sed sacrum Concilium Tridentinum tam euidenter hanc ipsam conciliandam gratiae, & liberi arbitrii rationem tradidit, quasi hoc ipsum summo episcopo suo, ut sancti Augustini & Celestini de eadem istis uerbis expresserit. Cum enim docuissent justificationis exercitum a praesente Dei gratia sumi, quae maxime sentit Pelagianis displicuit, eo quod praesentissimum libertatis interitum afferere uideretur, mox libertatem saluam permanere testatur istis uerbis: *Ut eadem gratiae libere assentiendo & cooperando disponatur ad suam iustificationem, hoc est, ut non uelut exanimis nihil agant, & gratia quasi uolenter cogenti totum negotium relinquatur, sed ipsi assentiendo & cooperando simul aliquid agant. Hunc enim suum sensum statim aperit luculentius: ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, in praerogationem illam recipies quippe qui illam & abire potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua uoluntate potest. Vbi nulla praefusa alia explicatur gratia & libertatis concordia, nisi illa quam semper Augustinus docuit, nempe quod nec homo nihil omnino agat instar trunci se habendo, & tamen gratia praestet ut agat. Verba quippe Concilii sunt ipsissima uerba sancti Augustini, quibus ipse Pelagianos destrui conuerentes liberum arbitrium, saepe suffocauit. Nam in libro de correptione & gratia, cum obiectum fuisset ab eis qui non putabant gratiam cum libertate consistere: *Et quid nobis praedicatur & c. si hoc nos non agimus, sed id uelle & operari Deus operatur in nobis? Respondet Sanctus Augustinus: Agunt ut agant, non ut ipsi nihil agant. Et in libro de gratia Christi: Non quia nos non uolumus, aut nos non agimus. Et sermone 13. de uerbis Apostoli, Dicit aliquis mihi, ergo agimus non agimus: & mox reponit: Imo & agis & ageris. Item, & tu ipse aliquid agis. Nemo adiuuatur si ab ipso nihil agatur. Non enim adiuuatur est ille si nihil agatur. Et in libro de perfectione iustitiae: Non quia hoc sine uoluntate nostra agitur, quia non adiuuatur nisi qui uelit ipse aliquid agat. Et tractatu quarto in epistola Ioannis: si nihil agis, quomodo ille adiuuat? Et in libro de gratia & libero arbitrio: Ne putetur nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium. Et in epistola centesima quinta: Neque enim & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis.**

Et in

Zozymus in Epist. circulari qua extat apud Prosp. lib. 1. cont. Collat. cap. 1. & in libello Petri Diaconi & in epist. Celest. ad Gallos.

Celest. in epist. ad Epist. Gallos 6. vli.

Et in fragmentis sermonum: *non sic ut profus nos nihil agere velimus.* Quibus omnibus testimonijs tam dense repetitis conciliatione gratiæ cum libera voluntate non otiante non nihil agente, ut Pelagiani querebantur asseruit, & Concilio Tridēntino eandem ipsam, tanquā veram & genuinam gratiæ & libertatis concordiam ulque ad ipsissima verba præcinuit. Hæc ergo Cōcilium voluit quod Augustinus sexcentis locis præformauerat; gratiā quidem tangere cor hominis, non tamen propterea hominem quasi vi gratiæ tantum ageretur, nihil omnino agere, vel *inspiratiōnem illam tantum recipere, quasi passiuē tantum haberet se, sicut ille qui cogitur, sed reuera aliquid agere, utpote libere assentiendo & cooperando.* Quod ex opposito probat, quia *inspiratiōnem illam etiam abijcere potest;* quod signum est eum non se habere merè passiuē, sed potius voluntate suā approbare, & assentire, sicut improbare posset ac dissentire si vellet.

Eundē omnino conciliandi modū etiam in canone 4. disertissimis verbis tradit, quādo exserte damnat eos qui dicunt: *liberum arbitriū à Deo motū & excitatū nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti; neq; posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merè, passiuē se habere.* Nam & istæ fuerūt querimonie Pelagianorum aduersū Augustinum à Lutherō in dogma cōuersæ, & ab Augustino quoq; iam olim liberū arbitrium cum gratia conciliante damnatæ. Nam cōtra huiusmodi pestilentia clamabat in concione Sanctus Præsul: *Sed non sic ut dimitramus nos & quomodo agri iacemus supini & dicamus, pluit Deus esca super facies nostras, ut profus nihil agere velimus, & cum esca cōpluta fuerit super os nostrum, dicamus etiam Deus glutiat de nobis.* Nonne dānat illud ipsum quod Concilium damnat, *hominem nihil omnino agere, merè, passiuē se habere?* Quid est enim Deū glutire de nobis, nisi Deum totum agere nihil agētibus sed merè passiuē se habētibus nobis? In alio loco etiam rei exanimis mentionem contra Pelagianos, id fieri suspicantes facit: *non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemq; non condidit salutem nostram Deus operatur in nobis, & alibi interentibus Pelagianis ergo agimur, non agimus consecutionem negat Augustinus & rationem dat* *Neque enim templum suum sic de vobis adificat quasi de lapidibus, qui non habent motum suum: levantur ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi dicimini sed currite vos &c.* Quæ omnia manifestissimè demonstrant Concil. Tridentinum ad amissum eandem omnino concordiam gratiæ & liberi arbitrii tetigisse, quā Augustinus, Romani Pontifices & omnes veteres gratiæ defensores unanimi consensu tradiderunt. Nam quod Cōcilium addit *arbitrium vocanti Deo posse dissentire si velit,* itemque hominem *inspiratiōnem sic recipere ut illam & abijcere possit,* etiam Augustinus admittit; non tamen unquā in uniuersis operibus eius extat vestigiū, quod in ista miserabili potestate vel potius infirmitate dissentendi, & abijcendi inspiratiōnem si

A velit, libertatem arbitrii collocauerit. Hoc enim oritur in hac vita, non ex natura libertatis arbitrii, sed ex instabilitate quam habet in bono. Vnde in caelo ubi arbitrium erit liberrimum, eò minus inspirationem Dei abijcere poterit, quò liberiori motu is Dei dilectionem rapietur. Itaque si etiam in hac vita Dei inspiratio tam stabiliter ac delectabiliter Deo operante inhaeret voluntati, ut eam non posset abijcere, felicissimum, fortissimū, liberrimumq; merito diceretur atq; esset arbitriū. Tunc enim verè per gratiam Dei haberet eam quā S. Augustinus tantopere extollit, *liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseverantissimam voluntatem.* Tunc verè *acciperet gratia libertatem & ut perseveraret delectabilem, perpetuam, & insuperabilem fortitudinem.* Tunc verè *si*
B *eret id quod infirmitati humanæ seruatiū esse tradit, ut diuinā gratiā indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur,* nunquam enim tam indeclinabiliter agitur, quā cum non potest voluntate dissentire gratiæ Dei. Sed hoc in tanta perfectione, est alterius vitæ privilegium, quod si daretur etiam in presenti exilio, non violaret, sed summè perficeret arbitrii libertatem. Arbitrari quippe quod perfectio gratiæ arbitrii libertatem destruat, stultitia singularis est. Concilium igitur istius potestatis abijcendi, ac dissentendi meminit, non ut in eo libertatem arbitrii sitam traderet (quod veris gratiæ defensoribus & intellectibus inauditum paradoxum est) sed ut ostenderet ex contrario, arbitrium sub gratia non nihil omnino agere non veluti inanime quoddam, non merè passiuē se habere, sed aliquid agere instar rei animatæ, instar rei actiue se habentis, motum quoque & vitam & consensum suum habere utpote quod motu opposito inspirationem abijcere posset, eique dissentire si vellet. Nam istud, *quippe qui illam & abijcere potest,* quod idem est cum illis alijs verbis, *posse dissentire si velit,* tanquam ratio assignatur à Concilio doctrinæ immediate præcedentis, quā dixerat *quod homo ipse non nihil omnino agat inspirationem illam recipiens.* Nam quasi diceretur, unde istud probas? Quippe inquit, *qui illam & abijcere potest.* Quali diceret, hoc est argumētum infallibile, quod homo nō nihil omnino agat velut inanime quoddam, nec merè passiuē sese habeat instar eius quod violentiā extrinsecus illatā cōpellitur, quia id quod recipit potest etiā abijcere, seu dissentire si velit. Nam quæadmodum ista duo, *inspiratiōnem recipere, & assentiri Deo excitanti atq; vocanti, idem sunt;* ita quoq; idē sūnt, *inspiratiōnem abijcere posse, & Deo vocanti posse dissentire si velit.* Id enim ipsum quod in capite 3. per modū doctrinæ generalis Concilii tradiderat, hoc in can. 4. per modū regulæ fidei sub anathemate credendū sancit. Itaq; posse dissentire Deo excitati & vocanti, est posse inspiratiōnem eius abijcere; & è cōtrario Deo vocati assentiri est aliquid agere, & inspirationem Dei recipere. Neq; enim ibi agitur de qualibet actione sub gratiā, vel qualibet receptione, sed de morali quæ exercetur,

Trid. Sess. 6. can. 4.

Aug. in serm. 1. serm.

ib. d. 1. serm. 1. serm. 1.

Serm. 13. de viri. Apo. 1. serm. 1.

Lib. de corp. & grat. 3.

ibidem

ibid.



non tam sentiendo inspirationem atque vocationem, quam consentiendo. Quosane pacto huiusmodi receptionem & abiectionem inspirationis seu vocationis Dei etiam recentio-

res intelligunt. Iste itaque est verus & genuinus Concilij sensus toti textui, totique antiquorum Pontificum & gratiae defensorum doctrinae vndique consentaneus.

CAPVT XVIII.

Epilogus Probationum praecedentium.

Hec itaque sunt quae de Pelagianis aduersus gratiam Dei murmurantibus, ac Catholicis pro libero arbitrio respondentibus, & pro concordia utriusque satagentibus, reperire in scriptis eorum potui. Quae quidem pro captu meo tam perspicua sunt, ut homini sanae mentis, & cui oculus ille quo videtur veritas, necdum libidine contentionum excaecatus est, nullum relinquat amplius ambigendi locum, quid Pelagianis in Christi gratia quasi liberum arbitrium extinguente displicuerit, & quo pacto defensores eius ad querelas aduersantium sopiendas, veramque gratiae & liberi arbitrii concordiam conciliandam esse censuerint. Pelagianos enim, cum audirent, nihil esse quod non gratia Dei in nobis operaretur; mordebat unice, quod per gratiam Deus sine nobis, sine nostra voluntate, & proinde nobis inuitis ac reluctantis bonum in nobis operari, ipsique proinde non nobis, utpote quiescentibus praemium deberi videretur. Hunc enim sensum suum expromendo dicunt, gratia operante inuiti ad bonum cogimur, inuiti credimus; gratia inuitos trahit, inuitis & reluctantis studium virtutis immittitur, violentia adhibetur, ideoque coactitia fit conversio. Currere non esse currentium, nec velle volentium, sine voluntate nostra bonum fieri, nihil nos agere, nihil hominis voluntatem agere, nos non agere, nihil nos facere, agi nos non agere, Deum cuncta gerere. Itaque Deum gratiae suae imperare, non nos sed se coronare debere. Cuiusmodi dicta quid sibi velint, nemo nisi mente captus ignorare potest. Catholicis Scriptores e contra, importunissimas istas querimonias ita semper et sua responsione suffocant, & operationem gratiae cum libera voluntate conciliant, ut nihil improbet in ipsis, nisi quod ipsorum perspicuae reclamantium voces praeseferre videbantur, & nihil pro concordia utriusque stabilienda probent & clament, quam gratiam non tollere liberum arbitrium, quia relinquit nos ipsos non nihil omnino sed aliquid propriae voluntatis motu velle & agere, nec aliquando gratia de nobis quasi dormientibus operatur, sed facit ut simul etiam nos ipsi aliquid operemur. Dicunt enim, sexcentisque locis & modis iterum iterumque clamant, per gratiam quidem operantem Dei opus bonum fieri; sed tamen non nos inuitos cogi, non nolentes credere, non esse inuitos homines & reluctantes, non reluctantis studium virtutis immitti, non cogi voluntatem, non inuitum com-

pellere, non violentam esse gratiam, quia virtus nolentium nulla est, quia non est bonus homo si nolit, quia non possunt homines nolentes credere, quia si cogitur voluntas, non vult; itaque nulli auferri voluntatem, non putari debere quod non sit voluntas nostra, non alienandum esse opus a propria voluntate, si sic suscipi gratia ut homines propriae perdant voluntatem, homines non sine sua voluntate, sed sua propria voluntate venire, sua voluntate pugnare sua voluntate eligere; quia, inquit, se per manet voluntas, quae non potest esse sine aliquo motu, sine aliquo amore, velle & nolle propriae voluntatis est, quae voluntas in bonis de gratia est. Addunt & rationes, quia Deus per gratiam non edificat templum suum ut de lapidibus qui non habent motum suum, nec operatur ut in iis qui ratione & voluntate carent, vel quasi dormiremus, & non vellemus ut conaremur, non quasi ut a gri supini iaceremus, cibos gratiae expectando pluentes super faciem nostram, eosque ipsos Deus glutiret de nobis, aut opus fieret de nobis nihil facientibus nobis, aut velut inanime, quoddam nihil ageremus, merè passivè nos haberemus, aut denique quasi alius vellet de nobis, & nos non vellemus, non curreremus, non conaremur aliquid, nil ageremus, nil faceremus, nullus esset hominis aut voluntatis cursus; sed nos ipsi volumus, nos currimus, nos conamur, nos agimur & aliquid agimus, adiuuamur enim, & nemo adiuvari potest, si ab ipso nihil agatur. Deus cooperatur, quod fieri non potest si nihil operemur. Recte ergo consistere gratiam cum libero arbitrio, quia gratia facit ut velimus, facit ut faciamus, donat bene velle & bene agere, efficit enim ipsum motum voluntatis eorum. Haec & eiusmodi tam de se passim sparsa sunt, totiesque repetita, ubi ex professo contra hostes fidei insultantes pro humani arbitrii libertate decertant, tanta denique claritatis luce oculos lectorum tardissimorum ac dormitantium feriunt ut laethargo pressum esse necesse sit, qui non evigilet, metis oculis orbatum, qui non intelligat. Quod si quis aliam concordiam in eorum scriptis quarat, quam Pelagianis obtruncantibus ingesserint, ut eorum querimonias contra gratiam pro libera voluntate sopirent, seruetur ille per me licet, Ierusalè in lucernis, & si inuenerit & me participem facere dignatus fuerit, instructiorem in Augustini scriptis per ejus benevolentiam me esse factum libenter glorior. Sed nisi me multum fallit, cum oleum & operam perdidit inuestigando mecum fortasse confitebitur istum libertatis